



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Lh
9
235




L. g. 235.

Bd. Oct., 1882.




BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828.)

8 Aug., 1882.




Lh. g. 235.


Bd. Oct., 1882.




BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828.)

8 Aug., 1882.









Heemst. 1021

3485-c

0

Bent

LECTIONES HORATIANAE.

SCRIPSIT

AEMILIUS BAEHRENS.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, MDCCCLXXX.

L^o n^o 7. 235

VIRO SUMMO OPERE COLENDO

379

GUILELMO HECKERO

VERAE HUMANITATIS ET LIBERTATIS VINDICI

DIEM XX MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXXX

QUO ANTE QUINQUE LUSTRA

IN ALMA UNIVERSITATE GRONINGANA

HISTORIAE PROFESSURAM

STRENU ET SPLENDIDE ADMINISTRATAM AUSPICATUS EST

EX ANIMI SENTENTIA GRATULANTUR

FACULTATIS LITTERARIAE CONLEGAE

B. H. C. K. VAN DER WIJCK

AEM. BAEHRENS

H. E. MOLTZER

F. J. VAN DEN HAM

T. HALBERTSMA

P. L. MULLER

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, MDCCCLXXX.

• 1862, Aug. 5.
Sint Jans.

Stoomdrukkerij van J. B. Wolters.

LECTIONES HORATIANAE.

SCRIPSIT

AEMILIUS BAEHRENS.

In carmine primo Horatius diuersa mortalium studia per tria maxime hominum genera persequitur. postquam enim uu. 3—10 nobiles Romanos aut omni opere adnitentes ut in ludis Olympiacis uictoriam reportent aut honorum cupidos aut diuitias in inensum cumulantes descripsit, iam altera exemplorum serie uu. 11—18 ad plebeculam Italicam descendens depingit negotiis suis intentos agricolam et mercatorem, denique tertio ordine uu. 19—28 eos adumbrat qui solum sibi uoluptatibusque suis uiuunt. media autem series, de qua sum disputaturus, est haec:

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus
Numquam demoueas, ut trabe Cupria ¹⁾
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi
Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

¹⁾ reposui *Cupria* duce optimo Porphyrione scholiasta, cuius in codice Monacensi haec extant: *Cyprea trabe, pro: cypro abundante; cypriis enim clauis naues figuntur.* quae uerba sensu omni destituta uellem Porphyrius editor nouissimus Guil. Meyerus ex libris recentioribus restituisset in hanc formam aperta ueritate genuinam: *Cypria trabe, pro: cupro abundante; cupreis enim clauis naues figuntur;* scilicet ipsum lemma non a scholiasta sed a librariis insequentibus adiectum est. ad talem autem interpretationem errore ridiculo deformem numquam hercle Porphyrio adductus esset, nisi in suo exemplari *Cupria* scriptum reperisset secundum orthographiam antiquam, quam Augusti tempore etiam tunc optinuisse notum est: cf. ex. gr. Asinii Polionis

sensum alterum, etsi priores philologi sine offensione legerunt, gra-
uissimae tamen dubitationi obnoxium puto. ea autem quae u. 15
extant *luctantem Icaris fluctibus Africum mercator metuens* multis
orationis flosculis usi interpretes exponunt eodem modo atque Por-
phyrio, qui concise ait: *sensus est: mercator, cum tempestatem in
mari patitur, abhorret nauigare et optat iam rusticam uitam in patria
sua colere; mox ubi euaserit periculum, eandem uitam repetit; per
quod colligit, neminem posse aliud agere quam quod consuerit.* qua
explicatione accepta omnia egregie procedere quis negauerit? quippe
amant fere poetae ueteres, dum saeuientibus circum tempestatibus
uel ipse ille audax nauta trepidat metu percussus, hominem misere
iactatum fingere sortis suae pertaesum securiusque uitae genus
desiderantem. a qua cogitatione initium sumpsit Horatius in eo
carmine, quod itidem ad Maecenatem missum sermonibus suis prae-
fixit (sat. I 1, 3 sqq.). et sic apud Dracontium ut in aliis rebus
ita in hac sine dubio antiquiores imitatum Paris in medio mari
deprehensus summoque uitae in periculo uersatus in hasce erumpit
uoces (raptus Helenae 402 sqq., quos uersus adscribam emaculatos):

felici sorte creati
Pastores, quos terra capit, quos nulla procella
Concutit! haut uenti metuunt super aequora flatus
Et rabidum pelagus temnunt latrantibus undis,
Sed celso de monte uident, ut in arce sedentes,
Pascua rura nemus fontes sata flumina prata,
Per campos gestire pecus, pendere capellas
Praerupta de rupe procul dumeta sequentes.
Ut uirides tondent lasciuis dentibus herbas! eqs.

uidemus ex hac agricolae tuti praedicatione, quam nauta mortis
timore exagitatus instituit, pulcrum oriri imaginem. eundem autem
mercatores, ubi uix terram tetigit saluus integerque, uotorum

fragmentum apud Charisium p. 100, 23 K. seruatum *Veneris antistita Cupra.* in
huiusmodi autem rebus Porphyriionem constat maiore fide dignum esse quam codices
nostros, si cum illo comparantur, nouicios. — u. 14 Peerlkampius in pauido illo
nauta offensus *inpauidus* putauit Horatio esse reddendum, et metro aduersante (cf.
Lachmannus ad Lucr. p. 159 sq.) et neglecta propria linguae latinae breuitate quadam.
nam ita equidem interpretor: numquam eum ab agris suis abducas ut nauta fiat; qui
si fieret, certe pauidus nauta futurus esset. plane ut apud Tibullum I 1, 49 legimus:
sit diues iure, furorem qui maris et tristes ferre potest pluuias, hoc est: sit diues,
et si fiet diues, iure erit. dignum est hoc dicendi genus, quod pluribus locis collectis
accurate inlustretur. — denique priorum quorundam criticorum in dictione *rura oppidi*
dubitationem leuem exemplis idoneis iam alii refutarunt.

modo factorum prorsus oblitum nauem fractam reficere iterumque mare infidum temptare, id conueniens plane est Horatii consilio: nam illum rapi consuetudine neque contra naturam suam agere per quietem omnino posse significandum erat, et rerum ueritate sic iubente et ut coloni aruis patriis inhaerentis descriptio praecedens ex contrario augeatur intendaturque.

Sed negandum est, uerbis a codicibus traditis et inesse talem qualem uolunt sententiam et Porphyrionem suam adplicuisse interpretationem. ubi enim mercator tempestatem in mari patiens commemoratur? nam *metuens luctantem I. f. Africum* dicitur solummodo is qui siue in terra siue in naui positus uenturam in mari Icaro procellam timet; siquidem suapte natura metuendi uerbum ad tempus futurum spectat. hinc recte legimus od. I 3, 10 sqq.: *qui fragilem truci commisit pelago ratem primus nec timuit praecipitem Africum decertantem Aquilonibus*, hoc est: qui credidit nauem undis sine timore aduersorum maris casuum serius ocuis certo instantium; hinc apud Dracontium l. l. bene inter metum procellarum forte oriundarum et mare iam rabidum distinguitur. at si adest tempestas necem exitiumque minitans, tum eam pauet et horret et trepidat homo, iam non eam metuit; cf. ex. gr. epod. 2, 6 *horret iratum mare*, od. II 13, 14 *nauita Bosphorum Thynus perhorrescit neque ultra caeca timet aliunde fata*, quo ex loco quid discriminis intersit facile noscitur. nam metuit quidem etiam tunc ille, sed metuit ne ad malum finem res perducatur neue merces pereant utque patriam suosque umquam reuisat quaeque sunt huiusmodi similia. itaque in ipsis uerbis *luctantem I. f. Africum mercator metuens* nihil habetur, unde uersantem in media procella nautam nobis uidere uideamur. immo si uu. 15—18 intacti ab interpretum lenociniis mente integra perlegerimus, talem necessario rei imaginem nobis animo formabimus, illum fracto nauigio aliquamdiu laudasse rusticae in patria sua uitae securitatem metu Africi, cuius saeuitiam olim expertus esset, mox tamen taedio paupertatis actum aequora repetiuisse. en bellulum mercatorem, qui inuitus quodammodo et corde metuens solius uictus tenuioris fuga intrat mare, quantopere mutatum ab illo quem supra suspeximus admirati, quam iam non respondentem poetae consilio! nam hoc tenendum est, quam recte per se *indocilis* ille *pauperiem pati* uocetur (cf. epist. I 1, 46), tam praue hoc loco ob eam unam causam illum iterum pontum experiri, cum natura ac consuetudine potissimum errandi audendique cupidus debeat

fingi, accedente ad hanc cupiditatem tamquam minoris momenti re paupertatis fuga. quae naturae consuetudinisque uis cum appareat, si solum tamdiu metuere dicitur nauta quamdiu instat urguetque periculum saeuum, et Horatium scripsisse et Porphyriionem in interpretando ob oculos habuisse puto haec:

Luctante Icaris fluctibus Africo
Mercator metuens.

nam *metuens* absolute (ut apud optimum quemque scriptorem) positum facile indoctum aliquem librarium commouit ad accusatiuum cum uerbo illo artius cohaerentem restituendum. eadem autem orationis forma legimus sat. I 1, 6 (cuius carminis initium cum nostro poemate comparandum esse iam supra monui): *contra mercator, nauim iactantibus austris, 'militia est potior.'*

Fluctuat adhuc in carmine I 6 doctorum sententia de uu. 13—16. partim enim Peerlkampium hanc stropham obelo notantem uel prudentes homines haud grauate sunt secuti, partim defendunt suis quisque ratiunculis nisi. et ceteros quidem scrupulos acute motos non tanti esse momenti lubenter concedimus. cur Diomedem et Merionem ex personis Homericis poeta elegerit tamquam uirtutis specimina, quis bene sanus hodie diiudicet? nobis postgenitis, qui quid Graecorum epici post Homerum uigentes in illis describendis sibi indulserint nesciamus, satis esto altero quoque loco (od. I 15, 26 sqq.) hos duos heroas sociari laudarique. quamquam hoc recte intellegere mihi uideor, comparatione in singulis non nimis arguenda Tydiden superis parem non alium dici quam ipsum Augustum, cui accedat Agrippa tamquam Meriones puluere sordidus ¹⁾. haec igitur aliaque obiecta (ueluti *digne scripserit* nimis prosam orationem sapere: at cf. ex. gr. laus Pisonis 68 *quis digne referat*) facile, ut dixi, tolerantur; sed in eo comprobandus est Peerlkampius quod hanc interrogationem *quis digne scripserit* absonam absurdamque pronuntiauit. cuius sensus, ut et ratio et exempla docent sexcenta, hic potest esse unicus: nemo digne scribet. ergone ne Varius quidem scribet digne, idem Varius, ad quem tamquam carminis Homericum alitem

¹⁾ alii Augustum sub Martis persona, sub Diomedis Agrippam significari existimant; sed quid tum fiet Merioni? neque illud *superis parem* apte dicitur de Agrippa.

Horatius relegat Agrippam? manet haec difficultas mansuraque est. nam ne ei quidem conamini, quod nuperrime uir subacti iudicii Franciscus Buechelerus in programmate hiberno uniuersitatis Bonnensis anni 1878 protulit, quantumuis acuto adplaudere possum. explicat enim uir ille doctus ita: *nemo haec digne scripserit, ne Homerus quidem optimus heroici carminis auctor, nedum Varius etsi forte epos acer ut nemo ducit, minime ego qui ne Vario quidem aemulari possim*, putatque iam censuram quandam Iliadis agi. at aut ego caecutio aut hoc de Vario alioqui bono epico positum non silendum, sed uerbis apertis Horatio erat persequendum. porro respuo hoc commendationis genus, quo ne Varium quidem Diomedem et Merionem, hoc est Augustum et Agrippam (siue quoscumque alios intellegis), iuste canturum esse contenditur. denique tota illa Homeri censura otiosissima foret atque adeo peruersa, quippe a carminis materia abhorrens. hoc igitur commentum refutat sentiendi simplicitas, refutat reliqui poematis respectus. quocirca iam adducimur eo ut uu. 13—16 aut in exilium mittendos aut corruptela laborare aiamus. nolo nunc multus esse in disceptanda interpolationum Horatianarum quaestione (nam disceptare incipienti uereor ne intra huius commentationis terminos desit finis); breuiter dicam me ab eorum parte stare qui omne hoc uersus spurios uenandi studium reiciunt condemnantque. quod ad nostram stropham, ea careri posse concedo. sed ecquodnam remouendi ius hinc nanciscimur aut ecqua erat causa ueteri quem fingunt interpolatori conexu perspicuo aliquid de suo inculcandi? apage ista desperantium aut pigrorum remedia! Porphyrio autem post expositam uocem *adamantina* ita pergit: *figurate negat se posse res bellicas scribere, uerum Varium potius, qui sit Homericis spiritu*. si Horatius dixit *nemo digne scribere potest*, non uideo qua iuris specie figurate de se locutus esse censetur. iam in uersibus antecedentibus propterea se maiora non conari professus est quod inbellis lyrae Musa uetet; hanc si imparem esse Agrippae Caesarisque laudibus nunc ostendit, figurate se quoque parem esse negat. uides quo tendam. neque ego aliter locum suam recipere sanitatem existumo quam si uu. 13—16 artiore uinculo prioribus adhaereant, hoc scilicet modo:

. tenues grandia, dum pudor
 Inbellisque lyrae Musa potens uetat
 Laudes egregii Caesaris et tuas
 Culpa deterere ingeni:

*Vix Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit aut puluere Troico
Nigrum Merionen aut ope Palladis
Tydiden superis parem.*

demonstratur igitur adscita asyndeti explicatiui quod appellant grammatici forma, cur Musa uetet: quid enim tenerae illi esse cum duro inmanique belli deo, quid cum uiris fortibus in pugna dimicantibus? nihil in his superflue repetitum est, ut persuasit sibi Peerlkampius. nam antea poeta in uniuersum grandia argumenta, Achillis Ulixis Pelopis fabulas, recusauit; nunc ut horum difficultates ita suarum uirium infirmitatem singillatim exempla proferendo ostendit (ut simillime sat. II 1, 12 sqq.). ad uocem *vix*, quae apud poetas fere *non* aequat, cf. ex. gr. od. I 14, 7 *vix durare carinae possint imperiosius aequor*.

Od. I 17, 21—24:

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia, nec metues proteruum eqs.

Thyone quoniam eadem est cum Semele, bis appellatione a matre sumpta Bacchus utitur. qualis duplicis metronymici exemplum in litteris antiquis non reperitur. unde iure suo Hanouius mus. Rhen. uol. XIV p. 314 illud *Semeleius* in mendo cubare dixit. eiusdem uero coniecturam *simul Euhius* ob inane prorsus additum *simul* recte cum aliis inprobauit Robertus Ungerus, uir doctissimus, ipse et audaciore et infeliciose temptamine ludens *stimulis leuis* (Emendd. Horat. p. 36). tu duabus litterulis adiectis rescribas quaeso:

nec semel ebrius — Thyoneus,

ex noto uocis *semel* usu, quae adici solet ad significandum rei statum certum et inreuocabilem. ex magna exemplorum Horatianorum copia adponere sufficit sat. II 1, 24 *ut semel icto accessit feruor capiti* et epod. 15, 15 *nec semel offensi cedit constantia formae*. audit autem Bacchus *ebrius*, ut plane similiter *modicus* od. I 18, 7 et *inuerecundus* epod. 11, 13.

Recte haeserunt uiri prudentes in od I 35, 21—28:

Te Spes et albo rara Fides colit
 Velata panno, nec comitem abnegat,
 Utcumque mutata potentes
 Veste domos inimica linquis.
 At uolgus infidum et meretrix retro
 Periura cedit, diffugiunt cadis
 Cum faece siccatis amici,
 Ferre iugum pariter dolosi.

putant se haec intellegere, qui nauci faciunt poetam prae ceteris perspicuum explicando reddere obscurissimum, modo ne deserenda sit codicum fides. sed uideamus de singulis. et uerba quidem *albo rara Fides uelata panno* a uitio immunia habeo subscribens Porphyrii interpretationi: *posset uideri sordide dixisse 'panno', nisi uellet hac conceptione intellegi, a pauperioribus magis coli fidem*; cf. Lactantius de aue Phoenice 19 *Egestas obsita pannis*. neque alium quam album pannum Fidei conuenire apparet. porro Spes infeliciam adflictorumque socia communi omnium ore praedicatur. hae igitur ambae colunt comitanturque Fortunam, cum relinquit quos ante fouerat beatos, hoc est, una cum Fortuna aduersa abeunt exceduntque. hic nulla est tergiuersatio, hic nil iuuant argutiae atque artificia. lege uerba sensu incorrupto: aequae paucos fidos quam uulgum amicorum, quin etiam ultimum miserorum solamen Spem cum Fortuna celeri pede euadentes inuenies. hanc enim deam inimicam cogitatione subito mutare in hominum sortem tristem iam consecutam, quam Spes Fidesque colere dicantur, unde nobis licet aut quomodo per poesis leges concessum est? praeualet in toto carmine unius deae imago, praeualet in strophae sextae initio. cuius in protasi qui de deae cultricibus comitibusque legit, is in apodosi facere non potest quin solam deam agnoscat, adiuuante praesertim et conciliante ipso illo *ueste mutata inimica linquis*. itaque confusae personae et rei spurcitiem Horatio omni ex parte indignam perhorrescens Bentleius *uertis* pro *linquis* proposuit, porro *tum* pro *at*. cuius propositi improbabilitatem perspiciens Peerlkampius *sed comitem abnegat* maluit, non ille quidem felicior, cum, si Spes et Fides remanent in aduersa fortuna, uerba *te Spes et Fides colunt* hunc accipiant sensum peruersum, quasi arridentis quoque Fortunae amicae sint eadem. sed enim tantum rebus misere fluentibus apparent. prouenit autem mendum, nisi fallor, ex eo corruptelae genere, quod inlustraui praefationis ad Propertium pgg. XXIX

sqq., et praecedente totiens illo *te* scriba hoc quoque loco idem posuit, cum ponere deberet:

*Et Spes et albo rara Fides coit
Velata panno nec comitem abnegat eqs.*

uu. 16—20 de Fortunae anteambulone Necessitate actum est; nunc quid eandem sequatur exponitur: quando tu linquis felices, tui loco conueniunt et Spes et Fides, quae prosequuntur a te desertos. traxit autem uitium, ut fieri solet, uitium: uoce *et* in *te* mutata necessario *coit* in *colit* cessit. — *comitem abnegat*, scilicet *se*, quod loco Ouidii a. a. I 127 recte stabiliuerunt.

Od. II 8 non nocere Barinae (quod nomen multis suspectum bene tuetur H. Usenerus mus. Rhen. XXIV p. 341) periuria exponens Horatius haec dicit u. 12 sqq.:

*Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.*

hominem *simplicem*, si a uulgari uocabuli notione hic alienissima recedimus, notum est uocari ueracem probumque et a fraude remotum: quem par est auersari ac refugere quam maxime periuria, non ridere. simplex etiam uocatur femina rei amatoriae secreta non callens: quale attributum minime decet Nymphas Veneris comites quasque omnino poetae plenas proteruae lasciuiam amorisque gaudia non nescientes fingunt; cf. ex. gr. Ouidius met. II 451 *et, nisi quod uirgo est, poterat sentire Diana mille notis culpam: Nymphae sensisse feruntur*. Nymphas autem interdum dici *agrestes*, quid ad nostrum locum? multo etiam magis procul arcenda est illa interpretandi lubido, qua *simplex* idem esse ac *facilis* pronuntiant: hoc enim pacto ex omnibus omnia efficere licet. nec enim Porphyrio Vergilianum *sed faciles Nymphae risere* attulit ut *simpliues* esse *faciles* optineret, sed ob simillimam uniuersam sententiam; nec alia quam primaria significatione sat. II 2, 68 *simplex Naenius* ut homo munditiis elegantisque carens opponitur delicato et luxurioso. rident autem Nymphae utpote expertae amantium iurairanda uentis portanda tradi a deis, rident ut consciae prudentesque rerum Venerearum. reponas mecum:

rident duplices Nymphae.

homo scilicet callidus et uersutus (cf. Ouidius am. II 19, 9 *uiderat hoc in me uitium uersuta Corinna, quaque capi possem callida norat opem*) audit *duplex*. sic Ulixem, quem Liuius Andronicus pro πολυτρόπῳ Homericō fecerat *uersutum*, Horatius od. I 6, 7 dixit *duplicem*, quod recte *callidum* interpretatur Porphyrio frustra obloquente Bentleio. et hinc ipsa Venus audit *duplex* apud Catullum 68b, 11. raro autem insuetoque ab hac quidem significatione uocabulo *duplex* librariorum notius sibi que familiarius *simplex* substituisse, altero exemplo docui Miscellaneorum Criticorum p. 18.

Periculum faciam, num uere emendasse possim censi eiusdem carminis uu. 21—24:

Te suis matres metuunt iuencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

quibus in uerbis res nondum ad liquidum perducta est. nam uocabulo *aura*, quod pro additorum natura uarium atque mutabile est, inducti plerique inprobabilia statuere. et Orellium quidem secundum Vergilium Georg. III 250 odorem illum a iuuenca emissum, quo captato taurus in uenerem ruat, praue (neque enim hoc umquam ad homines translatum est) intellegendam prudentes pudentesque omnes exhiberunt. nec rectius Peerlkampius od. IV 13, 19 *spirabat* (= inspirabat) *amorem* similiaque comparauit. alii porro *auram* esse *splendorem* rati sunt, obliti illi quidem hoc tantum in metallis radiantibus (cf. interpr. ad Verg. Aen. VI 204) usum habere; alii collegerunt Propertianum (II 27, 15) *si modo clamantis reuocauerit aura puellae*, ubi tamen *aura* est oris spiritus sonusque. quibus commentis omnibus obstat etiam refragaturque neglectum illud *retardat*. nam haec dictio *aura retardat* Romanis quidem auribus nihil sonuit nisi *uentus retinet et moratur*. et ut aliis poetis ita saepe Horatio *aura* ualet *uentus* adhibeturque etiam sensu translato, ut od. I 5, 10 sqq. *qui semper uacuum, semper amabilem sperat nescius aurae fallacis*. et sic Porphyrio quoque accepit scribens *amoris aura, quae ad te eos fert; sed utique hoc per allegoriam dicitur*. sed sic ridiculum est *tua aura* neque, nisi fallor, a Porphyrione lectum. unde non insistens uestigiis Bentlei, qui dubitanter *retardet cura* uoluit, et Schraderi Usenerique *retardent ora* proponentium potius restituerim:

mala ne retardet aura maritos.

uerentur scilicet nouae nuptae ne sinister sibi uentus, tamquam

Ulixem ad Circen, sic maritos suos ad Barinē ferat ibique retineat. stultos autem librarios decuit sane, *mala* non intellectum mutare in obuium illud *tua*.

Od. II 11, 13—17:

Cur non sub alta uel platano uel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyrioque nardo
Potamus uncti?

suo iure Peerlkampius et Lehrsus canis capillis locum esse negauerunt post Horatii ad Hirpinum Quintium adhortationem, ut in tam breui iuuentutis flore utatur annis fugacibus uitaque fruatur, antequam obrepat senectus. non intellexit scilicet librarius aliquis ea quae praecedunt uu. 5—8: *fugit retro leuis iuuentas et decor arida pellente lasciuos amores canitie facilemque somnum* putauitque haec ita esse dicta quasi iam re uera fugeret decus iuuenale senexque poeta seni amico hilariter uiuendi per paruū spatium bibendique auctor existeret. nos uero calidis adhuc uigentibusque iuuenibus quod conuenit reddamus faciamusque eos festiuam comptationem festiuo ornatu adituros:

rosa *cultos* odorati capillos.

quod uitii genus subsit uides: inhaesit scribae supra adumbrati memoriae *canities* false accepta, reposuit idem postea ad uocabulum a litteris simile delatus iterum *canos capillos*. saepe hoc modo erratum esse in describendis ueterum auctorum monumentis sat constat; cuius rei memorabile sane exemplum data occasione lubet tractare, dico locum Lucretii II 40 sqq.:

Si non forte tuas legiones per loca campi
Feruere cum uideas, belli simulacra cientis,
Subsidiis magnis epicuri constabilitas,
Ornatas armis pariter pariterque animatas,
Feruere cum uideas classem lateque uagari eqs.

et cetera quidem excrisimus quemadmodum Lambinus Lachmannus Bernaysius restituenda censuerunt, sed u. 42 qualem praebent codices exhibuimus. est autem manifestum, importune librarii manum cartis mandasse nomen eius quem utpote a Lucretio tot tantisque laudibus elatum animus ipsius pia prosequeretur memoria. nec

minus apparet eo facilius errari potuisse, quo similiorem uox genuina speciem praeberet. itaque Lachmannus magno molimine scribens *subsidiis magnisque elephantis*, quamquam dedit quae iustum habent intellectum, ab illa tamen parte operam lusit; Munro autem hanc culpam uitaturus cum coniceret *subsidiis magnis et ecum ui*, inania uerba posuit. quid enim? ipsa legionum subsidia cum iam contineant equites, nonne inutiliter adicitur illud *et ecum ui*? puto ego, Lucretii esse hunc uersum:

Subsidiis magnis *secure* constabilitas.

dicuntur legiones ita subsidiorum copiis abundantes ut in omnes belli casus tutae securaeque sint.

Nobile de famae gloriaeque suae aeternitate uaticinium, quod extat od. II 20, ab hisce Horatius uerbis initium sumere uoluit:

Non usitata nec tenui ferar
 Penna biformis per liquidum aethera
 Vates, neque in terris morabor
 Longius, inuidiaque maior
 Urbes relinquam. non ego pauperum
 Sanguis parentum, non ego quem uocas,
 Dilecte Maecenas, obibo
 Nec Stygia cohibebor unda.

postquam omnia, et inter ea ineptissima multa, temptata sunt ad explicanda uerba *quem uocas*, hodie inter peritos fere constat de eorum deprauatione. quamquam inter coniecturas prolatas nulla habetur, quam lubenter amplectaris. nam uel commentum Bentleyanum *non ego pauperum sanguis parentum, non ego quem uocant* ob repetitum falsissime illud *non ego* merito displicuit uiris doctis (Kellerum mira infelicitate multa certissima Bentley inuenta spernentem, hoc abiectum fouentem mitto). neque ego quid uere scripserit auctor scio — nam, ut interdum factum est, grammatici omnia genuinum reperiendi uestigia deleuerunt —, sed operae pretium duco indicare quid fere scribere debuerit idem: id quippe, quamquam adhuc latuit, certo demonstrari potest. quod enim ad loci attinet sententiam, dubitatio non est quin humilitatem suam designet Flaccus; quemadmodum dixit III 30, 10 sqq. *dicar . . . ex humili potens princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos*.

sed humilitatis notioni exprimendae neutiquam adcommodatum est nudum illud *pauperum sanguis parentum*, propterea quod paupertas etiam cadit in homines ex genere nobilissimo ortos. quamuis igitur saepissime ferente conexu opponantur inter se solummodo diuites et pauperes (uide ex. gr. II, 18, 10 *pauperemque diues me petit* et II 14, 11 sq. *siue reges siue inopes erimus coloni*), tamen origo ubi declaranda est non simul intellegitur. hinc uariis modis certum loquendi genus est ortum, quod inlustrant exempla haec: od. II 3, 21 sqq. *diuesne prisco natus ab Inacho nil interest an pauper et infima de gente*; sat. I 6, 58 *non ego me claro natum patre, non ego circum me Satureiano uectari rura caballo... narro* (hoc est: non narro me nobilem et diuitem esse); epist. I 20, 20 *me libertino natum patre et in tenui re*; Propertius II 24, 37 sq. *certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito nobilis et quamuis non ita diues eras*; laus Pisonis (Poet. lat. min. I p. 230) 118 sq. *rara domus tenuem non aspernatur amicum raraque non humilem calcat fastosa clientem* et quae sunt huius modi alia haud pauca. unde facile agnoscis eo quode agimus loco praeter paupertatem rem multo grauiorem et poetae proposito unice conuenientem nullo pacto omitti debuisse. porro iam ipsa orationis forma (quae est eadem atque in uersibus ex sat. I 6 excerptis) Horatium hoc uoluisse demonstrat: non ego *pauper*, non ego *ignobilis* omnis moriar. tali autem sententiae facile tibi persuadeas olim lectorem aliquem male eam intellegentem adscripsisse *quem uocas* idque ipsum in textum receptum expulisse genuinam lectionem. quae cum ita se habeant, uereor ut umquam mutata una alteraue litterula scriptori suum reddere liceat. sed quoniam in tali condicione, si in qua alia, ludendi ingeniumque experiundi facultas rite concessa est, lubet speciminis gratia addere id quod inter uaria temptamina ultro sese offerentia uate Venusino dignissimum uisum est:

non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego *egens auis*,
Dilecte Maecenas, obibo.

auos et *proauos* sensu praegnanti maiores nobiles apud poetas significare, notius est quam quod exemplis confirmare oporteat; ad illud *egens* comparetur Statius silu. V 2, 15 sqq. *non te series in-honora parentum obscurum proauis et priscae lucis egentem plebeia de stirpe tulit*.

Poscunt etiam opem auxiliumque, quae in eiusdem carminis uu.
12—20 leguntur:

Iam Daedaleo tutior Icaro
Visam gementis litora Bosphori
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.
Me Colchus et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique poter.

hic quoque interpretum uerba *me peritus discet Hiber* defensitantium uoluntati defuit successus. nec neglegenda erat adnotatio Peerlkampii uerissime obseruantis, ubicumque *peritus* ponatur absolute, ex totius loci tenore facile apparere, cuius rei dicatur peritia. quali indicio deficiente ille reiectis priorum coniecturis temptauit *me peritus discere Hiber*. sed fugit Peerlkampium, non solum formam esse mancā, sed etiam sensum laborare ob id ipsum quod Hiber ille inducatur discens. hoc enim uult poeta: in cyncum mutatus penetrabo ad extremas orbis terrarum partes, uolantemque me uidebunt ultimae gentes. qua imagine usus etsi innuit fore ut ubique carmina sua legantur eisque ferae incultaeque nationes ad humanitatem perducantur, tamen propositae comparationis non ita inmemor esse debuit ut duas res diuersas commisceret. nam ut *noscent* apta grataque ambiguitate et *uidebunt* et *legent* exprimit, ita *discet* uocabulum imaginem illam foede deserit. et uideo etiam Lehrsium alia sine iure uexantem hoc tamen uere exagitare Horatii sui p. XCI his uerbis: *eine vielleicht für schön gehaltene Confusion zwischen dem Schwanhoratius und dem Gedichtbuchhoratius*. nec minus absonum est, unam illam gentem prae ceteris tamquam discendi peritam cuquidamque hic efferri. quibus rationibus omnibus hoc certum fit, latitare in uerbo *discet* mendum grauius. et quoniam illud *noscent* ad omnia orationis membra pariter spectat (cf. ex. gr. od. I 30, 4—8 in medio interpositum commune uerbum *properent*), uocabulo corrupto obscuratam statuemus rem, cuius Hiberi iure meritoque dicantur periti, quaerendumque erit aliquid quo aequae ac reliquae gentes breuiter illi acuteque adumbrentur. itaque hau scio an Hispanos metallis exercendis claros ita designauerit scriptor:

me peritus *Ditis* Hiber.

ad quae inlustranda faciunt uerba Statii silu. IV 7, 14 sqq. *Dalmatae montes, ubi Dite uiso pallidus fossor redit erutoque concolor auro*.

Od. III 11, 2—8:

Tuque testudo resonare septem
 Callida neruis,
 Nec loquax olim neque grata, nunc et
 Diuitum mensis et amica templis,
 Dic modos, Lyde quibus obstinatas
 Adplicet aures.

si cum Peerlkampio quaeris cur testudo neque loquax olim neque grata uocetur, ego Horatium non uerba inania iecisse respondebo, sed haec in rem apta cum ioco dixisse: tu, o testudo, duram Lyden mihi mulce; scis enim quid sit surdas aures habere gratiaque carere. sed si eodem auctore ex me interrogas quomodo iam sequentia *nunc et diuitum mensis et amica templis* explicanda putem, quid tibi exhibeam nescio: adeo haec mire sunt dicta non solum (id quod Peerlkampius urguet) ob omissam uocem *deorum*, quam propter *diuitum* paene flagites illi *templis* additam, sed magis etiam ob ipsam rem. quae enim humilior inportuniorque lyrae laus fingi potest quam inseruire eam hominum diuitum delectationi? quae contra prior potiorque eiusdem praedicatio quam qua inde ab Homericis illo φέρουξ... ἢν ἄρα δαυτὶ θεῶν ποιῆσαν ἐταίρων omnes poetae certatim chelyn extulerunt? unde ex. gr. Horatius od. I 32, 13 *dapibus supremi grata testudo Iouis* et Germanicus in Arateis 270 *lyra Mercurio dilecta, deorum plurimum amica epulis*. quae praecipua testudinis gloria cur ibi siletur, ubi ad illam conciliandam adhiberi potuit efficacissime? sic dum scrupulos et in forma manca et in re positos perpendo animo, adducor ut diuites expulisse deos statuam legamque:

Caelitum mensis et amica templis.

erroris autem causa fuisse uidetur proximi uersus initium *dic modo*; ad quod oculis aberrans librarius uitiose *diuitum* pro *caelitum* dedit. quem notum errorum fontem ut aliis exemplis nouis inlustrare licet, ita promam ubi eodem modo deis iniuria est inlata. apud Iuuenalem VIII 131 sqq. extant haec:

Tu licet a Pico numeres genus, altaque si te
 Nomina delectent, omnem Titanida pugnā
 Inter maiores ipsumque Promethea ponas,
 De quocumque uoles proauum tibi sumito libro.

ultimum uersum totum remouere uoluit Ribbeckius, nos nihil remouendum ducimus nisi uocem extremam *libro* iusta interpretatione carentem ortamque ex uersus sequentis fine *libido*. nam Titanum

Prometheique, Urani stirpis, mentione facta iam fere pergendum erat: de quouis alio deo per me originem repetas. unde lego:

De quocumque uoles proauum tibi sumito *diuo*.

Carmen festiuum III 26 recte in uniuersum interpretantur: simulare poetam certum amoribus ualedicendi consilium non aliam ob causam quam ut Chloen repugnantem uincat flectatque. quod consilium quo certius esse declarat ita ut iam totus sit in eo exequendo (cf. u. 6 *hic hic*, cuius uim iocosam mente non adsecutus est Peerkampius), eo maiore cum animi hilaritate in ultimis uersibus legimus humiles eiusdem preces Veneri oblatas:

Vixi puellis nuper idoneus
 Et militau non sine gloria;
 Nunc arma defunctumque bello
 Barbiton hic paries habebit,
 Laeuum marinae qui Veneris latus
 Custodit: hic, hic ponite lucida
 Funalia et uectes securesque
 Oppositis foribus minaces.
 O quae beatam diua tenes Cyprum et
 Memphin carentem Sithonia niue,
 Regina, sublimi flagello
 Tange Chloen semel arrogantem.

sed in apertam totius poematii sententiam non quadrat initium multis celebratum *vixi puellis nuper idoneus*. nam quae uocabuli *idoneus* est significatio, facile aliquis suspicetur Horatium siue senem decrepitem factum (ut re uera acceperunt nonnulli) siue nescio quo suco uenenouae uiriliter priuatum iam abdicare Venerem. sed enim hoc ut secum agitaret ille, in causa erat unus solusque Chloes superbae fastus pertinax. quam licet a poeta iam annis prouectiore adamatam esse ponamus, quis tamen homo mentis compos in eis uersibus, quibus mollire dominae duritiem studet, aetatis suae inicit mentionem uerbis tam parum aptis inque risum facillime deflectendis? quid fuerit rei, totum carmen facile aperit: gratus erat antea feminis; nunc, ubi a Chloe repulsam tulit, odisse se atque auersari puellas omnes fingit, nunc tamquam is qui in otium recedit instrumenta artis numini uoturus est. sed gratiae notio plane abest a uerbo *idoneus*; quamquam subesse eam nauiter statuunt qui quiduis sumendo quam demonstrando agere malunt. neque, ut hoc addam, in

uulgata scriptura habetur iustus cum sequenti iam militiae Venereae descriptione conexus. coniecit itaque Carolus Frankius *uixi duellis nuper idoneus*. quod etsi probarunt aliquot non infimi ordinis critici, tamen reiciendum est certissime. ingratham repetitionem *duellis* et *bello* iam alii (ut Schuetzius) recte perstrinxerunt; sed praeterea ego ipsam duelli uocem huic loco adcommodatam esse nego. usurpabantur enim talia uocabula prisca ab aevi Augustei scriptoribus ibi, ubi sermoni grauitatem quandam addebant, ubi cum dignitate atque *σεμνότης* loquebantur. itaque quamquam saepe id quod est *bellum* ad res Venereas transtulerunt, tamen ubi in his ludicris *duellum* dixerint frustra circumspectio. et num ita melior fit sententia? nonne remanet prior maiorque offensio? quodsi *uixi puellis nuper* (hoc est, totus eis deditus eram) per se quidem bene stat, quaeratur potius in uoce *idoneus* aliquid sententiae aptum quoque simul ad sequentia fiat transitus. conuenire autem puto magniloquentiae cum ioco quaesitae hoce:

uixi puellis nuper Adoneus,

secundum uersum notissimum Catulli XXIX 8 *perambulabit omnium cubilia ut albulus columbus aut Adoneus*. cuius celeberrimi carminis Catulliani alibi quoque aperte memor est Horatius. uocabatur autem *Adonis* siue *Adoneus* is qui et gratus acceptusque erat feminis utpote Veneris amicus et sua uice feminas amabat sectabaturque. qua duplici nominis notione bene iam et illud *olim gratus eram* designatur et ea quae de militia armisque deinde dicuntur inlustrantur. talis quippe hominis mulierosi est bella amoris et dedita opera et cum arte quadam gerere; talem dum se lepide fingit Flaccus, omnem illius apparatus bellicum sibi attribuit uindicatque. alterum autem Adonin semper se fuisse qui gloriatur, is hercle efficacius Chloes alicuius animum tanget quam qui ueteranum emeritum iamque rude donandum se simulat. restat ut ad illud *uixi Adoneus* conferam serm. I 1, 101 *suades ut uiuam Naeuus*, ubi plura interpretes congesserunt.

Od. III 27 Horatius Galataeae iter maritimum dissuadens latius in fine euagatur persequendo Europae fabulam. quae narratio Peerkampio adeo displicuit ut totum pannum (uu. 33—76) abiudicaret poetae. et longiorem quidem degressionem uati lyrico condonandam

esse et similibus (ueluti od. III 11, 29—52 Hypermnestras fabula) satis defendi multi adnotauere. quod ad singula, Peerlkampius, quamquam etiam ea uituperauit (ut erat uir egregius ad percipiendos sensus poeticos interdum hebetior) quae iniuria in reprehensionem incurrunt, tamen in uniuersum recte ita censet: *inueniuntur in ista fabula pulchri uersus, sed etiam tales quales equidem Romano poeta non dignos iudico.* iudicio acuto subtilique uellem uir doctus ita institisset ut uitia poeta Romano omnino indigna forti manu resecaret. nam ita sane agendum est in hoc carmine, quo non alterum Horatianum plures pro uersuum numero difficultates adhuc praebet. sed totam illam degressionem pertractaturus pauca de fabulae ut ita dicam scena praemittenda duco. quam refragantibus licet Peerlkampio aliisque rectissime interpretes inlustrarunt (cf. ex. gr. Orellius). potest quidem in ea adumbranda poeta iusto breuior uideri nobis; nec tamen obliuiscendum est, antiquis lectoribus fabulae apparatus quasi externum (tacto Cretae litore taurum subito non apparuisse, uirginem desperationi extremae traditam deque morte sumenda cogitantem tandem a Venere mulceri praepararique Ioui mutata forma iamiam redituro) ex multorum — etiam pictorum: cf. Ungerus Emendd. Horat. p. 61 — descriptionibus fuisse notissimum, sed delectatos esse eosdem noua singula tractandi arte. qua excellit Horatius, cum puellae ira ac dolore uesanae affectus splendide describit, amara lento risu temperans. ab his autem uocibus eam lamentari facit incipientem (uu. 37—44):

Unde quo ueni leuis? una mors est
 Virginum culpa! uigilansne ploro
 Turpe commissum an uitiiis carentem
 Ludit imago
 Vana, quae porta fugiens eburna
 Somnium ducit? meliusne fluctus
 Ire per longos fuit, an recentes
 Carpere flores?

correxi u. 37 interpunctionem: uulgo *leuis una mors est* coniungunt minus bene, cum aut *leuis poena* aut *non satis* una mors dicenda fuerit cumque id solum uelit Europa, nihil nisi mortem sibi restare. rem autem exaggerat eadem de *culpa*, hoc est, patriae relictas delicto loquens (caue enim ne de laeso pudore accipias). sic etiam intellegas cum *turpe commissum* tum illud *uitiiis carentem*: nam plurali numero (quem praue in singularem mutabant nonnulli) bene adnotante Gesnero puella aperte omnia quibus praecepta agebatur

uitia, puta impietatem (u. 35) et leuitatem (u. 37) et impudentiam (u. 49) perstringit. quamquam est concedendum Peerlkampio, illa de porta eburnea rhetorice dicta nimisque quaesita non bene uirgini dementi dedisse Horatium: talia enim exornare uerborum flosculis est pacati tranquillique animi. hoc ut poetae dandum est culpae, ita in reliquis ei eximenda macula a librariis adspersa. nam quam recte se habet *uigilansne ploro an me ludit imago?* (quippe adeo inmanis res est, ut quae fecit fecisse se nequeat credere Europa), tam praua atque incongrua est haec interrogatio *meliusne fluctus ire per longos fuit an recentes carpere flores?* hac quippe de re dubitatio nulla fuit nec esse potuit: quia mare intrauit, ideo omne sibi malum contigisse bene scit et ob id se increpat obiurgatque et ante (uu. 34—37) et postea. attendendum autem ad cogitationum inter se nexum. quaestioni illi *uigilone an somnio?* quoniam haec una est responsio *sane (eheu) uigilo*, iam consequens est hoc: *sed quo tandem modo ita agere potui?* quippe rationem sibi dementiae suae reddere student miseri rectum prauumque inter se opponendo cum summa acerbitate: num prauum ideo feci quia melius erat quam rectum? ita quia cogitare solet animus humanus calamitate perturbatus, Europa loqui debuit hoc modo:

meliusne . . . fuit ac recentes carpere flores?

apparet enim prius illud *uigilansne — an ludit* induxisse librarium ut altero quoque loco *an* rescriberet pro *ac*; quod uice eius quod est *quam* saepius usurpat Horatius: epod. 12, 14 *Inachia langues minus ac me*; epod. 15, 5 alibique. — iamque furorem in miseriarum auctorem conuertit puella externata (uu. 45—48): si adsit, taurum gladio inuadere atque cornua frangere gestit! talia non sunt sobria nimis mente exagitanda, ut fecerunt Peerlkampius Lehrsque, neque flagitandum ut quae optat mens percita fieri re uera possint. sic postquam ira detonuit, Europa relabitur ad mortis cogitationem: *impudentem*, hoc est, transilientem fines uirginibus praescriptos (sic enim explicamus) se liquisse domum paternam; *impudentem*, scilicet paene oblitam quid nunc uirginem deceat, se mori cessare (uu. 49, 50). mortem igitur cum necessariam sibi esse constet, puellarem tamen animum iterum prodit (uu. 50—56): uult uita excedere quia, ut bene ait Porphyrio, *γυμνασιῶς sollicita est ne desinat esse speciosa; quare* [ita ego: *quae Monacensis*] *desiderat quam primum perire, dum pulcritudo sua secum sit.* quae sententia

quo clarius appareat, mutanda est paululum interpunctio in hunc modum:

o deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones
Ante, quam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque sucus
Defluat praedae! speciosa quaero
Pascere tigres!

leonibus inermem se occurrere potius quam uitam uiuere aerumnis miserisque obrutam cupit; modo pulcra obeat, tigrium uult esse cibus. tandem autem de certo genere mortis deliberat; audire enim sibi uidetur patrem longas has moras execrantem (uu. 57—60):

'Vilis Europe', pater urguet absens,
'Quid mori cessas? potes hac ob orno
Pendulum zona bene te secuta e-
lidere collum'.

in his Porphyrius falsam explicationem uerborum *zona bene te secuta* creduli, quantum scio, omnes acceperunt. sed zonam ad iuuandum scilicet mortis consilium puellae fuisse comitem, nimis hercle frigidum atque ineptum est et iure inridendi materiam praebuit amplam quaerentibus, ut Peerlkampio Lehrsioque. monet autem, nisi prorsus me fallit opinio, Europae pater haec: elide collum zona, dum bene te secuta est (id est, zona quam adhuc honeste geris). nam quod idem filiam uocat uilem, iterum non ad uerum flagitium iam commissum sed ad uirginis leuitatem impietatemque referas. quo modo si zonam bene secutam accipimus, uidemus et cur pater probro gnatae timens ad moriendum inpellat et quid ita Europa obsecutura sit utpote uirgineo pauore iactata, cum uenturum eum qui zonam eripiat animo iam iam praesagiat. alterum etiam mortis genus, si forte filia praeferat (qua de re cf. Peerlkampius ad u. 59), pater commendat (61 sqq.):

Siue te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede ueloci; — nisi erile mauis
Carpere pensum eqs.

temptantem me, si qua interpretatione huic uersui succurrere liceret, defecit euentus. quamquam in eis quae sunt *leto delectant* (hoc est: iuuat in letum quod quaeris) nullus offendor: nam facile beneque

haec iunguntur. sed eludit atque euertit defendendi conamina illud *te procellae crede ueloci*. absurdissime quippe ac plane pueriliter is qui de saxo se praecipitat procellae se credere fingitur, ut et animaduertit recto iudicio et copiosius ostendit Peerlkampius. itaque quod scriptor bene sanus scripsisse omnino nequit, apte remouere condecet. uide an tibi placere possit hoc meum commentum:

age te procelle corde ueloci.

cuius dictionis *se procellere* etsi unum habeo proferendum testem Plautum (militis gloriosi u. 762 R.), tamen uocabulum, quo aptius meliusque fingi nequit quodque plane nulla mutatione restituitur, ob illam causam damnari non debet, immo exemplis adnumerandum est a Zangemeistero collectis disceptatisque, quibus Horatium haud pauca uerba non uulgari usu trita recepisse et fere solum nunc praebere uidemus. *corde* autem *ueloci* (sic *mentem* et *animum* quoque Romani dicebant *uelocem*) apprime in rem facit: nam hoc agit et in hoc suadendo totus est pater ut missis moris celeriter nata corde capessat consilium moriendi.

Finite Europae oratione en adsunt Venus concitatum illius pectus mitigans et Cupido missa sagitta idem amori emolliens. friuolum est cum Peerlkampio quaerere, quando aduenerit Cypria cum puero suo: adesse eam puellae iamiam manum sibi impositurae sufficit. uenturum autem amatorem nuntians dea inquit haec (uu. 73—76):

Uxor inuicti Iouis esse nescis!
Mitte singultus; bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

in his iterum cetera quidem a uanis suspicionibus recte sunt defensa, sed uerba ultima sustentari nequeunt. nam *sectus orbis* non potest esse alius quam totus orbis in partes diuisus, non est una ex tribus partibus. quippe Schuetzius aliique, qui sectum orbem intellegunt sectionem siue partem orbis, obliuiscuntur participio illo semper significari actum rei, non id quod inde efficitur (noto exemplo Taciti ann. I 8 *occisus Caesar*, i. e. id quod Caesar interfectus erat, ipsa occidendi actione notata); unde *sectus orbis* ita est sectio orbis ut secandi opus designetur. iam nudum uocabulum *orbis* quia et totum et totius partem exprimit, *sectus* uerbum cedere debet ei quo noster orbis a duobus reliquis Asia Africaque segregetur. puto

autem aliquid ad augendam *magnam fortunam* conferri, si praecipua orbis terrarum pars nomen Europae ductura dicatur:

tua lectus orbis nomina ducet.

lectus pro *electus*, ut ex. gr. carminis saecularis u. 6.

Epod. 1, 15 sq. haec extant in codicibus:

Roges, tuum laborem quid iuuem meo,
Inbellis ac firmus parum?

uitium metricum ita inde a Glareano sustulerunt ut pro *laborem* rescriberent *labore*. sed quam facile ex accusatiuo *laborem* cogitatione ad *meo* repetimus ablatiuum, tam difficile uersa uice in hac lectione *tuum labore quid iuuem meo* ex ablatiuo postposito ad prius illud *tuum* subintellegimus accusatiuum. nimirum non uiolentiore mutatione (nam lenes huiusmodi transpositiones in quouis scriptore euenerunt) meliora recipiemus:

Roges, laborem quid *tuum* iuuem meo,

quo et illud lucramur quod uicina iam *tuum* et *meo* maiore cum ui inter se opponuntur.

Ibidem 17—22:

Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet:
Ut adsidens inplumibus pullis auis
Serpentium adlapsus timet
Magis relictis, non ut adsit auxili
Latura plus praesentibus.

u. 21 *non ut adsit* in omnibus bonis libris traditur, praueque ex nullius pretii codicibus adsciscunt *uti sit*. sed iusta uerborum illorum explicatio cohaeret cum alterius difficultatis tractatione. nam quia auis, quae assidet custoditque pullos, non simul reliquisse potest, illud *magis relictis* stare nequit. Gogauii uero inuentum *minus relictis* parum iuuare, recte admonet Peerlkampius. utique enim *timet minus quam relictis* (scil. timet) flagitat latinitas; neque *quam* sic quidem omissi ullum suppetit exemplum. porro non laudauerim bis eodem modo dici *minore in metu* et *timet minus*: potuit debuitque enim par sensus diuersis uerbis exprimi. ipsum autem illud *magis*

bene retinebitur, hoc si dicet Horatius: timet auis nihilominus, sed ut magis segura tutaque sit. unde propono:

Serpentium adlapsus timet
Magis *quieta*, non ut adsit auxili
Latura plus praesentibus.

quemadmodum auis, si adsidet nido, pericula timet animo magis sedato, licet non praesto sit tamquam quae suos, si simul sint, plus adiuuare periclitantes possit: sic Horatius, si una sit cum Maecenate, quamuis prodesse illi nequeat, tamen minore in metu tam cari capitis est uersaturus.

Epodo XVI Horatius detestatus belli ciuilibus calamitatem popularibus emigrandi eundique ad insulas fortunatas auctor existit. cuius carminis uu. 39 sqq. hi sunt:

Vos, quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et uolate litora.
Nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
Petamus arua, diuites et insulas,
Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis
Et inputata floret usque uinea.

in interpretandis uerbis *oceanus circumuagus arua* aut eo quo dedimus modo interpungentes coniungunt aut *oceanus circum uagus arua: beata petamus arua* (siue *circum uagus arua beata: petamus arua*). equidem *arua* nudum, ut hinc disputandi initium sumam, in utroque cum adiacentibus nectendi modo praue se habere contendo. ut enim exemplo quid sentiam demonstrum, Aeneas sociis laborum dicere potuit: *petamus Italiam, Italiam beatam fatisque nobis concessam*, iusta legitimaque gradatione. sed quid hoc *petamus arua, arua beata* siue simplex illud *petamus arua* sibi uelle statuemus? nam et *arua* cuiuslibet terrae sunt et *arua beata* aequae atque *Italia* una est indiuiduaque notio τὰ, μακάρων νήσους, Hesiodias exprimens. itaque si necessario cohaerent *arua beata* eademque neutiquam possunt indicari solo uocabulo *arua*, alterum utrum *arua* uitiosum sit oportet. utrumnam autem loco cedere debeat nunc eruendum est. Oceanum *circumuagum* uolunt esse ἀπόρροον, πάντα κυκλῶντα. non urgeo epitheton *circumuagus* esse insolentius, cum poetis latinis ille audiat *circumfluus* et *circumfusus* et *totum orbem amplectens*: potest enim

aliqua certe ratione mirum attributum defendi. sed idem superfluum hoc loco atque inane esse ideoque non sine iure uocari in suspicionem si adfirmo, plures ut puto habebam credulos. nec defuere qui hoc perspicerent construerentque praeunte Porphyrione *oceanus circum uagus arua beata*, maius illi quidem inferentes incommodum. nam paene ridiculum dixerim hoc: *nos expectat mare quod circum sedes fortunatas uagatur*, tam propter uagandi uocabulum quam ob ipsum sensum. numquis ad longinquam maris insulam nauigaturus hoc modo loquitur? accedit quod ubi arua beata essent sita nemo Romanorum habuit cognitum. sententiam igitur propriam formant uerba *nos manet Oceanus*: maris mediterranei litora praeteruolare iubentur socii ut excipiantur magno mari; columnae Herculis sunt proximus itineris finis, hinc in uasto Oceano iam quaerendae fortunatorum insulae. ipsi ergo expeditionis participes cum circumuagando inuestigare debuerint patriam futuram, si duplicis in oceano *circumuago* et in *arua* alterutro otioso uitii sedem ut par est finibus exiguis cohibemus, genuina Horatii manus, si non omnia fallunt, prodit haec:

Nos manet Oceanus: circumuaga turba beata
Petamus arua, diuites et insulas.

cf. Ouidius epist. XIV, 114 *turba uagamur inops*.

In saturarum libri primi septima inde a u. 22 haec habentur:

Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conuentu; laudat Brutum laudatque cohortem;
Solem Asiae Brutum appellat stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; Canem illum,
Inuisum agricolis sidus, uenisse: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.

in nota inde ab Homero imagine fluminis hiberni omnia obuia secum rapientis obscurissimum est quoniam uerba *fertur quo rara securis* tendant. Porphyrio haec praebet: *lanto impetu eloquium ore effundebat, quanta ui flumen ex montibus altissimis ruit. hoc enim significat: fertur quo securis. nam utique non facile itur in ea loca ad caedendum lignum, quae sint nimis alta atque abrupta. quae qui legit, statim abicit inridetque. itaque alii ripam praecipitem agnouere. sed fluuium in ripae loca periculosa ideoque tum temporis a lignatoribus*

uitata ferri, absurde est fictum. alii siluam densissimam et hominibus fere inaccessam innui aiunt. in quam quo tandem consilio concipitur intruere torrentem, cuius uis omnis naturaliter ibi frangatur pereatque? neque tamen in solo sensu haeremus. nam uulgaris constructio cum coniungit *fertur quo rara securis*, negligit atque posthabet Romanorum in uerbis collocandis consuetudinem. quae enim est huius enuntiati conformatio, si illo quo uolunt modo *fertur* cum *securis* copulandum est, utique flagitatur *quo fertur rara securis*. quocirca potius construendum est: *ruebat, flumen ut hibernum fertur*. et hoc uerissimum esse obseruatione quadam metrica bene confirmauit atque stabiliuit Hermannus Usenerus mus. Rhen. XXIV p. 346; nam Kellerus cum Epilegomenon p. 490 illud *fertur* post *ruebat* otiosum esse obicit, nihil obicit. itaque uerba, quae a sententia tenebricossima esse modo optinuimus, iam illo *fertur* priuata plane nihili sunt. emendandi igitur periculo cum opus sit, postquam Peerlkampius ab omni uerisimilitudine abhorrentia protulit, Usenerus l. l. proposuit *fertur per rura Sigambri*, ingeniose sane. sed neque id quod uox *quo* mutationis partem sumit neque uero Sigambrorum mentio in imagine magis generali placet. quamquam quid fere postuletur, recte ille diuinauit. cum sale multus fluebat Persius (cf. u. 27); utcumque fors obtulit, apta inepta arripuit homo loquacissimus in omnis partes euagatus exspatiatusque. *ruebat* ergo

Flumen ut hibernum fertur, quo *rura patescunt*.

cf. Mamertinus in panegyrico ad Maximianum Augustum cap. 5 (p. 93, 22 edit. meae): *toto quippe proelio ferebare, non aliter quam magnus amnis solet hibernis imbribus auctus et niuibus passim fluere, qua campus est*. extitisse uidetur in antiquo exemplari omissa una syllaba *quo ra patescunt*; quod crassa Minerua in id quod codices nostri exhibent legitque Porphyrio refictum est.

Sat. I 10, 64 sqq.:

fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba: sed ille
Si foret hoc nostrum fato delapsus in aeuum,
Detereret sibi multa eqs.

magna neque adhuc composita lis est inter grammaticos de rudis et Graecis intacti carminis auctore. et ei quidem qui certum aliquem poetam commemorari putant in duas partes discedunt: alteri ipsum Lucilium, alteri Ennium dici sibi persuaserunt. sed si uerba illa, ut recte fit, explicamus *quam auctor carminis inculti quodque litterarum Graecarum nullum praefert uestigium*, scire equidem uelim quo modo ea quadrent cum in omnes scriptores post primum bellum Punicum uigentes (cf. Horat. epist. II 1, 156 sqq.) tum in Ennium et Lucilium graecam eruditionem per omnia ostendentes. nolo autem acta ut aiunt agere; tu lege quae scripserunt, ut inter recentes me contineam, L. Muellerus mus. Rhen. XXVIII p. 636 sqq. et Teuffelius ibid. XXX p.623 sqq.: uidebis utrumque in refellenda sententia aduersa esse comprobandum, sed improbandum in sustentandis ipsius argumentis. quibus adice quae qui neutri opinioni se addixere protulerunt Nipperdeius opusc. p. 505 sqq. et Dziatzko mus. Rhen. XXVIII p. 187 sqq. itaque non dubito accedere eis qui carminum auctorem aliquem prisco Italorum numero Saturnio uersus horridos fundentem intelligunt. quod ipsa ea quam agnoscere mihi uideor oppositio in uu. 66 et 67 obuia commendat. etenim primi illi Musarum latinarum scriptores, qui litteris graecis imbuti arte qualicumque pangebant uersus, non sine superbia quadam *poetas* se uocitabant, iam ipso uocabulo graeco ex quam schola essent profecti prodentes (cf. L. Muellerus de re metr. p. 65). hi igitur uerbis *quamque poetarum seniorum turba*, in quibus illud *poetarum* cum ui quadam est effendum, segregantur ab eis qui sine artis graecanae notitia ante Liuium Andronicum poeticam factitabant. sed horum innumerabilium uatum, qui in uarios uitae usus uaria composuere carmina, quemnam Horatius esse uoluit *auctorem* suum? omnes ne intellegamus, intercedit et singularis numerus *auctor* et ipsa res: nam antiquissimos maximeque agrestes lima superare nulla erat Lucilio laus. unum autem aliquem ut mente nobis fingamus (quemadmodum Dziatzko l. l. cogitauit de Numa carmine saliarum plane improbabiler), nihil in uerbis inest quod suadeat. ad quae accedit altera res. Horatius Lucilium cum seniorum poetarum turba comparans num ob oculos habuit ex. gr. Pacuuii tragoedias? iniustum peruersumque puto in examinanda scriptoris alicuius lima diuersa poeseos genera in comparisonem uocare: aliam uerborum curam epos, aliam tragoedia, aliam satura flagitat. immo ut Horatius semet ipsum ut satiricum

confert Lucilio, ita et hunc non cum nescio quibus tragicis aut epicis comparare debuit. at, inquis, non agnouit Flaccus praeter Auruncae alumnum satiricos Romanos; hic audit illi saturae inuentor (u. 48=56). uide ne confundas diuersa. inuenit Lucilius eam saturae formam quam Horatius unice probabat, quatenus pertinet ad res tractandas; sed quod ad externam orationis speciem, nihil ille nouauit consimilisque, etsi limatior, fuit eis qui hoc carminis genus praeibant; neque hoc Horatius, subtilissimus litterarum Romanarum existimator, ignorauit. at undenam de satiricorum Lucilium praecedentium *turba* constat? nonne Suetonius p. 20 Reiff. tantummodo Pacuuium et Ennium appellat? ego uero, si ea quae supra disputauimus recte sunt disputata, ex ipso Flacci loco longe plures olim saturarum scriptores extitisse eorumque ex numero Suetonium notissimos exhibuisse colligo. sic mea sponte deducor ad Doederlinii sententiam hodie neglectam, rude Graecisque intactum carmen esse saturas in scena actas. quamquam Doederlinius cum auctorem illum sumeret *den uralten und namenlosen Schoepfer der improvisirenden Satura*, non omni a parte rectum uidit. contra quem Teuffelius l. l. p. 625 haec disputat: *um mit dieser verglichen werden zu koennen, haette diese Satura dem Horaz geschrieben vorliegen muessen, was schon durch ihren Charakter als Improvisation ausgeschlossen ist, ganz abgesehen davon dass diese Saturae, als Volkslustbarkeit, gleichfalls schlechterdings nicht auf irgend welche einzelne Person als ihren auctor sich zurueckfuehren liessen.* nescio unde compertum habuerit Teuffelius, harum saturarum nil ad posteros peruenisse scriptum. nam cum longo tempore illae spectantem populum Romanum delectauerint usque ad Liuium Andronicum, qui testante Liuiio historico (VII 2, 8) *ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere*, hoc statues tuto, si non integras saturas, at earum partes praestantiores, at singula dicta haud pauca et in memoria hominum seruata et litteris mandata esse, unde in Varronum has reliquias studiose anquirentium libros fluxerint. et undenam nisi ex talibus fragmentis iudicium de priscis saturis ferre licuit aeuo posteriore? itaque prior quidem Teuffelii dubitatio reicula est nihilque obstat quominus Lucilii dictionem comparatam dicamus cum ea qua utebantur qui Romae in theatro rudes incomptasque agebant saturas ante poetas graecae arti studentes. sed quod ad alteram rem a Teuffelio obiectam, plane eius iudicio subscribo: saturae, quarum origo antiquissimorum temporum tenebris obuoluta latet, non possunt

referri ad certum quendam auctorem. quodsi ne carminis auctorem conlato artis poeticae u. 45 *scriptorem* intellegamus saturae scenicae natura prohibet, unicam ex his turbis nos expediendi spem in coniectura positam esse puto. emendo igitur:

fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis actor
Quamque poetarum seniorum turba.

ad locutionem cf. Liuius VII 2, 8 *suorum carminum actor*. atque hanc suspicionem olim conceptam nunc confirmatam uideo codice Porphyronis Monacensi, qui in lemme ipsum illud *carminis actor* exhibet. dolendum est quidem, quod quid Porphyrio legerit ex interpretamento non apparet, ut possit subesse merus eius qui codicem scripsit error; sed res, si qua alia, adnotatione digna silentio premi omnino non debuit.

In libri II satura quinta Tiresias Ulixi post alia ad captandas hereditates spectantia inde a u. 90 haec praecipit:

Difficilem et morosum offendet garrulus; ultra
Non etiam sileas; Dauus sis comicus atque
Stes capite obstipo multum similis metuenti.

euicturus uerborum *ultra* (sic enim optimi plurimique codices) siue *ultra non etiam sileas* corruptionem uideo longioris disputationis gratiam mihi fecisse H. Bluemnerum mus. Rhen. XXXIV p. 175 sq., qui ea opera sat recte est functus. idemque Lehrsio uiam praemonstrante bene sententiam poetae reciperavit coniciendo *ultra nolit: iam sileas*. cuius praecessoris ignarus quod ipse temptaueram similime, id nunc quoque et lenius mihi uidetur et paulo concinnius dictum. suspicatus autem eram:

ultra *nolit*: iam sileas,

hoc est: si diutius te garrulum esse non cupiet, statim obmutescas. de loquendi genere noto cf. ex. gr. sat. II 7, 32—35.

Epistul. I 6, 9 sqq.:

Qui timet his aduersa, fere miratur eodem
 Quo cupiens pacto; pauor est utrobique molestus,
 Inprouisa simul species exterret utrumque.
 Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
 Si, quidquid uidit melius peiusue sua spe,
 Defixis oculis animoque et corpore torpet?

poetae argumentatio est haec: diuitias quaeque luxuriae inseruiunt auramque popularem alii uehementer appetunt, alii etsi non curant tamen his contraria timent; utrique scilicet uno morbo laborant eo quod rerum illarum admiratione tenentur. quod ita mecum collige. inexpectato si cupientem fortuna fecerit omnibus deliciis abundantem hominumque gratia florentem, timentem autem mendicum miserum despectum: et hunc et illum necopinata sors de animi statu deiciet, mente concutiet, perterrefaciet. cuius rei quamnam causam esse dicemus? scilicet 'pauor est utrobique molestus'. intellegis ergo, nihil interesse inter duo illa hominum genera: gaudium et dolor, cupiditas et metus ad eundem redeunt animi affectum supra dictum. — aperta sunt reliqua omnia, sed obscurus est *pauor*. adferunt Cicero-nem (Tuscul. IV 8, 19), a quo *pauor* explicatur tamquam *metus mentem loco mouens*. sed quid inde ad Horatium redundat? nam *gaudium* propter subitum mens cupientis exterretur (recte interpretes conligunt Liuium VII 39, nec addubitandi uerbum iusta est causa); *pauor* uero solum timentem intrat. non igitur *utrobique* molestus est pauor. sed ut hic quoque cupientis gaudio admixtus sit: num Horatius demonstraturus est, affectum quo illi teneantur esse pauorem? num tu haec probe concoquis: simulac species inprouisa utrumque exterret (id est, mente conturbat), pauor siue metus mentem loco mouens utrobique molestus est? nugas facile agnoscis. communis ambobus est admiratio inde proueniens quod rebus istis uanis inponi sibi patiuntur earumque amore quodam tanguntur. expectamus igitur aliquod uocabulum quod etsi mirandi notioni uicinum tamen magis animum inclinantem denotet. aut me ludit commenti mei amor aut tibi placebit:

fauor est utrobique molestus.

fauere inanibus istis pariter et cupientes et timentes (et fauere moleste, siquidem a recte uiuendo ita prohibentur) uidemus, siquid subito non expectantibus euenit. facile enim nec ita raro dicendi genere *fauor est* ita accipimus ut exaequet fere *fauor apparet*.

nescio autem an id quod proxime praeit *pacto* in causa fuerit ut pro *fauor* scriberetur *pauor*; quamquam litterularum *p* et *f* permutatione nihil est usitatus.

Desiderat haec epistula curas altiores. posito in primis uersibus illo, nil admirando hominem fieri beatum, iam pergit Horatius: si uel ipsa caeli miracula, quae olim priscis mortalibus terrorem incutiebant, sine formidine multi uident, quomodo tandem ea quae uulgo homines delectant sunt spectanda? pares sunt et qui ea cupit et qui eis aduersa timet. ipse quin etiam sapiens et aequus, si uirtutem nimis feruide et inmoderate appetit, nomine suo indignus est. quodsi iam acerbe ita continuatur (u. 17 sqq.) *i nunc, argentum et marmor uetus acraque et artes suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores* eqs., iustum inter haec et ea quae praecedunt conexum frustra requirimus. suus est formulae *i nunc* sensus: postquam certo demonstratum est aliquid falsum prauumque esse, iam forti cum irrisione per illud *i nunc* suadetur ut ipsum falsum aliquis amplectatur defendatue (exempla auctorum quique de eo usu scripserunt collegit Schmidius ad h. l.). deest autem hic demonstratio illa: cur peruersum sit uulgi studium neutiquam expositum est; nisi forte quae scriptor uu. 3—16 solummodo ponit contenditque Numicio pro argumentis accipienda sunt. quam incongruentiam cum interpretes miris modis studerent explicare aut utcumque tolerandam putarent, Ribbeckius summa faciendo ima et insuper alienae epistulae panno quodam inserto nodum non dissoluit sed dissecuit parum scite. optimum autem eorum quae optinenda erant argumentum inesse mihi uidetur uersibus sequentibus 24—27:

Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia: cum bene notum
Porticus Agrippae et uia te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo deuenit et Ancus.

ex fragilitate quippe rerum humanarum ita ut melius fieri nequeat euincitur, nimium earum appetitum esse inutilem uanumque. et hos uersus si traicies ante u. 17, illud *ire tamen restat* ab eo quod est *i nunc* excipitur grauissime, cum huic formulae et sua maneat significatio et accedat ex ipsa oppositione noua haec *dum inter uiuos es*. nec minus grauiter iam uersibus 17—23 subicitur statim u. 29 *quaere fugam morbi*. est autem *morbis* nullus alius quam praua rerum inanium admiratio; quod non intellectum lectori alicui antiquo de corporis mala ualetudine cogitanti causa erat ut ex ser-

monibus (II 13, 16) adscriberet uersum 28 recte a C. Fr. Hermannō eiectum.

Peruenit Horatius ad id quod rei est caput; et ostensurus quomodo perfici queat mali fuga, interrogat ex Numicio *uis recte uiuere?* quem ubi respondentem fecit *quis non?* (ita enim haec distribuimus), statim promit id quo quaestionis summa continetur consilium: *si uirtus hoc* (scil. recte uiuere) *una potest dare, fortis omissis hoc* (scil. ut id uirtus tibi det) *age deliciis*. quod consilium quomodo ad omnia ea quae antea sunt dicta spectet ut intellegamus, reminiscenda est uirtutis definitio non ex scholis philosophorum desumpta sed ea quam in egregiis uersibus inter pulcherrima poesis latinae fragmenta recte numeratis dat Lucilius (inc. fr. I):

Virtus, Albine, est, pretium persoluere uerum,
 Queis in uersamur, queis uiuimu, rebus potesse;
 Virtus est, homini scire id quod quaeque ualet res ¹⁾;
 Virtus, scire homini rectum utile quid sit honestum,
 Quae bona quae mala item, quid inutile turpe inhonestum;
 Virtus, quaerendae finem rei scire modumque;
 Virtus, diuitiis pretium persoluere posse;
 Virtus, id dare quod re ipsa debetur honori eqs.

uides, credo, quomodo uirtus faciat ad recte uiuendum, ad summa quae uulgo uidentur bona taxanda, ad consequendum denique Horatianum *nil admirari*.

Renuentem uirtutis nomine iniecto ridentemque Numicium cum uidere sibi uideatur, Horatius ita pergit: *uirtutem uerba putas et lucum ligna?* tum sane nihil restat quam ut uulgi more uiuas siue conradendo opes bona omnia facile praebentes (32—48) siue captando ciuium fauorem (49—55) siue luxuriose agendo (56—64) siue denique amando (65 sq.). quae singula ubi lepide descripsit insertis etiam narratiunculis iocosis, si tandem Numicio ualedicit his uerbis *siquid nouisti* eqs., lenem irrisionem per alteram carminis partem sparsam et in fine praefert. non ualuit autem id quod docendum erat, uirtutem unam ad recte uiuendum esse ducem, melius docere quam exemplis istis ex contrario petitis et ad risum mouendum idoneis; neque Numicius perfecta epistula facere potuit quin transiret in illius sententiam, cum praesertim ut libere concederet inuitaretur amici melius consilium rogare se fingentis clausula.

¹⁾ *ualet res* scripsi: *habeat res* uulgo.

Epistul. II 1, 1—4:

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.


Bentleius in uerbis *moribus ornes* offensus e coniectura ueterum testimoniis aptis stabilita reposuit *moenibus ornes*. impugnatum est hoc, ut fere fieri solet, ab editoribus insequentibus; sed quae illi contra protulerunt, sane nauci sunt habenda. quanti enim faciemus quod Cuninghamus obiecit, uel pessimos principes urbem moenibus ornasse? ergo non licuit Horatio tamquam partem negotiorum haud paruam in Augusto praedicare id quod cum ceteri scriptores inter eius laudes referunt tum ipse imperator in rerum suarum commentarium recepit (monum. Ancyr. C. 19 et 20)? cf. et Suetonius Oct. 28: *urbem... excoluit adeo ut iure sit gloriatus, marmoream se relinquere quam latericiam accepisset*. aiunt porro non recte dici *res Italas moenibus ornes*. ego uero hoc scio, si *moenibus* simileue uocabulum in membranis esset traditum, totam interpretum natiunculam uno ore clamaturam esse, ex uerbis magis late patentibus *res Italas* primi membri ad duo sequentia cogitatione adsumendam notionem angustiolem *urbem*; nec enim *res Italas* aliud quidquam significare quam *imperium Romanum*, cuius sedes caputque Roma praecipue spectetur, si de Augusti studio in operibus magnificis extruendis moribusque emendandis agatur, et ad imperii decus redundare quidquid ad decorandam urbem pertineat. deinde locutionis *moribus ornare* insolentiam non tuentur contra criticum Anglum, cum accersunt qualia sunt *quin tu te exornas moribus lepidis* (Plaut. Most. I 3, 12) aut *uir moribus ornatus* similiaque. quibus exemplis Bentleio sine dubitatione bene notis id quod agit, *alios (urbem) moribus ornare* posse dici, non sustentatur. et rite si uerba codicum uolumus interpretari, hic euadit sensus: *tuis, Auguste, moribus ornes*. quod ut inter negotia referri nequit, ita quemadmodum talis sensus aptis exprimat uerbis docet Ouidius, qui metam. XV 833 sq. ait *legesque feret iustissimus auctor exemplo suo mores reget*; cf. et Trist. II 2, 33 sq. denique si facili opera congerunt locos, quibus grata iucundaque orationis ubertate haud raro *leges* et *mores* coniungi optineatur, iterum perdunt operam. quamquam sane accuratius Bentleius euincere debuit, cur displiceret tautologia ipsi molesta: nimirum sensum magis quam certam ratio-

inationem secutus est uir magnus. tu igitur animum attende ad haec. *tot* Augusti *negotia* qui paucis uult complecti, is absone duas tantum res, gesta bellica et morum emendationem, profert; absone tria cola concisa ponit, quorum duo eandem rem ¹⁾ diuersis uerbis efferant. licet hoc fieri in largiore disputatione, non licet in adumbratione breuissima, in qua tamquam in indiculo rerum capita sunt notanda. quodsi quaerimus tertiam rem, quae sine inepta iteratione duabus aliis adiciatur quaque adiecta iam uere tot tantaque negotia commemorentur, non facile inuenias quod magis a sententia in rem faciat Bentlei coniectura. sed qui huius rationes quam acerrime defendendas censeo, idem reicio ipsum remedium. nam ut de uocabulo *moenia* taceam (suo iure num Horatii aeuo ita appellata sint aedificia multi dubitauerunt): eiusmodi est commentum illud ut leniori cedere debeat. legas potius mecum:

Res Italas armis tuteris. moribus ornes,
Legibus emendes.


notum est *moles* significare *aedificia magnifica altaque* (cf. od. II 15, 2; III 29, 10). nunc autem uideas mihi locos iam a Bentleio adlatos Senecae (apocol. c. 10), ubi Augustus *ideo ciuilia bella compescui*, inquit, *ideo legibus urbem fundauit, operibus ornaui?*, et Pacati (c. 11), ubi Roma dicit *cum me moenibus Augustus ornaret*: nonne ex his imitationibus apertis emendationis probabilitati summum accedere pondus agnoscis? suo quisque dicendi modo usi poeticum illud *molibus* reddunt. Suetonius autem num in uita Horatiana (p. 17 Reiff.) *moribus* exhibeat, perquam est dubium. habent enim uitae illius boni codices *tutelis moribus*, quod litterarum *l* et *r* metathesi ex *tuteris molibus* ortum esse apparet.

¹⁾ nihil enim a sensu differunt *moribus ornes* (ut quomodo nullo uolunt accipiamus) et *legibus emendes*, quippe quae ad unam morum Romanorum emendationem legibus ab Augusto latis efficiendam spectent; neque quidquam ualent discrimina artificiose facta (cf. Riedelius commentarii p. 43 sq.).











Lh 9.235
Lectioes Horatianae.
Widener Library

004049025



3 2044 085 202 174